



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

XXIX. De Boccheo Presbytero, & de segete incensa in die S. Laurentij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

De Bocceo presbytero, & segete incensa  
in die S. Laurentij.

## CAPVT XXIX.

*Idem.**Edit. Canis.  
cap. 26.**Violatores Fe-  
sti oburgat  
Bocceus Pres-  
byter.  
Sed frustra;  
quia eò magis  
operi instant.**Miraculum.**Aliud exem-  
plum de Viola-  
torib. Festi Vir-  
ginis Assum-  
pta.**Ex hoc rustico  
Lutheranus &  
Calvinianus  
spiritus loque-  
batur.**Corruit exo-  
mimis.*

**I**N die S. Laurentij Bocceus presbyter beati viri ad villam pergebat: homines autem terræ illius nõdum consuuerant dies feriatos agere. In ipsa ergò die, transeunte presbytero, rustici segetem metebant. Ille autem de obseruantia festi alloquens, merita Martyris prædicabat, atque vt ab opere cessarent, sub contestatione ac reuerentia beati Laurentij admonebat. Sed scriptum est; *Stultus verbis non corrigitur.* Vnde homo, qui magister operis erat, sprete sacerdotis admonitione, operarios suos magis & magis vrgebat. Contristatus ergò super illorum temeritate presbyter, cum abiret, imprecatus est Dominum, vt digna ultione contemptum Martyris sui vindicaret. Nec morà; ex improviso ignis venit, & stantem segetem, & eam, quæ iam messã fuerat, vndique afflavit, tantaque vis ardentis stipulæ fuit, vt ipsi rustici de campo fugerent. Factumque est, vt qui saluis frugibus ab opere sponte cessare noluerant, perditis omnibus, cessarent inuiti.

Simile quiddam, eòdem presbytero per viam pergente, in Assumptione Beatæ semperque Virginis MARIÆ factum comperimus, duobus, rustico videlicet, & eius vxore in agro metentibus. Zelo etenim religionis presbyter eos prohibebat dicens: huic diei propter assumptionem Dei genitricis MARIÆ honorem deberi. Erat autem secunda feria. Dicebat ergò rusticus: *heri, propter Dominicam operari non licuit, & iterum hodie vacare iubemur. Quæ est hæc doctrina, quæ homines à rebus necessariis & bonis iubet cessare? Quando ergò collectas videbimus fruges nostras? puto vos inuidere vtilitatibus nostris.* Cumque iam ad blasphemandum os aperire vellet, & falcem crebris tractibus messor vehemens in calamos vibraret, mirum dictu, subito extinctus in sulcos cecidit, falcemque in dextrâ, segetem autem in sinistra, vt absceda erat, tam fortiter etiam mortuus tenebat,

nebat, ut à nullo auferri posset. Mulier autem infelix, socia operis, morte quidem multata non est; puto, quia sub viri obedientia posita fuit. Sed tamen sine pœna & confusione non euasit. Nam corpus exanimi viri ad Ecclesiam secuta, falce & segetem de manibus suis, & ipsa excutere non potuit, quousque coram populo & clero argumentum hoc illicitæ operationis probaretur. Sepulto ergò viro & abeunte cum timore populo, mulier soluta est. Ex hoc autem facto populus maiorem *Dei Genitricis* reuerentiam, maioremque aliis festis celebratam doctus est exhibere.

*Pena Socris.*

*Derupta societate \* Ruthenorum propter  
fidem Stetinsium, & de Archiepi-  
scopo Danorum.*

\* Nominè Ruthenorum, intelligendū sunt hic Rugij, seu Rugiani ab insula Rugia.

CAPVT XXX.

**I**Nterea Rutheni comperta fide & conuersione Stetinsium: & quia in Christianitate penitus roborati sunt, à societate illorum se auertunt, commercia omnia mutuaque negotia insitorum ex indignatione abrumpentes, quasi alterius iam fidei populo communicare in talibus non deberent. Isti autem saepe numero à multis prædicatoribus ad fidem vocati, de integro nunquam venire voluerunt: Sed aliis interdum credentibus, alij non credebant, atque ex maiore parte paganicis ritibus degentes, femina fidei veluti spinæ, suffocando, illic conualescere non sinebant.

*Sesfidan.  
Edit. Canis.  
cap. 28.*

*Rugianorum  
p̄ sedes cum  
Stetinsibus.*

Ruthenia verò Danos adiunctos habet. Porrò Archiepiscopo Danorum etiam \* Ruthenia subiecta esse debuit: Sed populo fidem Catholicam propulsante, superfluum est, Sacerdotes de parochiæ terminis litigare. Rutheni ergò, paulatim crescente odio, Stetinsibus publicè aduersari ceperunt: & primò, quòd naues illorum à littoribus suis arcerent:

\* *Rugia.*